

QUÆSTIO MEDICA,

QUODLIBETARIIS DISPUTATIONIBUS MANE DISCUTIENDA IN SCHOLIS MEDICORUM,

Die Jovis vigesimâ nonâ Octobris 1705.

M. JOANNE DEPINEY PESCHARD,

DOCTORE MEDICO,

PRÆSIDE.

An homo à Vermibus?

I.



ON minori fortè negotio intima generationis arcana, & obscura principia, quam mundi totius compagem, & creationis modum inveneris. Philosophi ab omnibus retrò sæculis in eo se argumento exercuerunt. Ex semine & sanguine menstruo hominem compingit Aristoteles, licet nec in concubitu, nec protinùs à concubitu quidquam in utero reperiatur, quod vel à mare, vel à fœminâ, vel ab utroque profi-

ciſcens, futuri fœtûs exordium haberi poſſit. Eodem incommodo laborat ſententia Medicorum, generationem ex ſeminum utriuſque ſexûs mixtione deducentium. Nodum ſolvere Sennertus aggreſſus eſt, ſed nedùm expediret, implicuit. Voluit animam rationalem eſſe in ſemine virili præſentem, & cum illo in uterum tranſvehi, atque ex utroque ſemine conjuncto, non mixto, (*mixtio enim*, inquit, *eſt rerum diverſarum*) animâque prædito, perfectum animal emergere. Docti microſcopio adjuti, tot tenebras excutere conati ſunt; ſed videntur parùm fuiſſe felices. Capti jucundo ſpectaculo, & ſtudio novitatis abrepti, arbitrati ſunt veras eſſe concluſiones, quas præceps animus, præjudicatâ quadam opinione deceptus, tacitè ſuſcepit. Cœteras vero, vel oculorum fallacias, vel promptioris in judicando mentis aſſertiones, vel mutuatas ab inexpertis narrationes eſſe exiſtimant. Ad tentanda experimenta ſæpiùs ſe accingunt, animo non veritatis detegendæ cupido; ſed ſuis opinionibus deſponſato. Quidquid evenit, trahunt in rem ſuam. *Aliqua putamus nos aut videre, aut audire*, inquit Galenus, *aut omninò ſenſu percipere, quemadmodum in ſomniis, eò quod ſpecies objectorum, jam menti impreſſas contemplamur.* Propoſiti ſui nimis tenaces, experimenta quærunt ut illud probent; atque ita à veris obſervationibus falſa deducunt, neque cum principio cohærentia. Quæ vident in dubium revocant, de his quæ non vident hariolantur. Operationes naturæ ſuis cogitationibus accommodant, ſed operationibus eſſent aptandæ cogitationes, atque ex illis deducendæ. Suam temeritatem ſenſuum fraudem appellant. Noli plus aſſentiri, quam ut tibi apparere perſuadeas, & nulla deceptio erit.

II.

PLUS admirationis habent, quæ molis minimùm. Nunquam magis, quam in minimis tota eſt natura. Novus orbis microſcopio detectus eſt. Animalcula, quæ fugiunt oculos, nec aciem ejus effugere potuerunt, iiſdem, quibus grandiora, vivunt, & moventur inſtrumentis. liber ad intima naturæ aditus apertus eſt. Datum eſt rimari corporis humani ignotos & latentes receſſus. Liquorum, quibus viget, texturam, & ſalium, qui ipſis inſunt, figuras, atque in invicem

actiones, contemplari. Hinc plurimæ utilitates in Medicinam derivatæ. Hinc ſuggeruntur indicationes prudentibus, expreſſæ, vel ex eâ novâ corporis humani cognitione, vel analogiſmo probatæ ex brutis & plantis. Suggeruntur remedia, quorum vires confirmantur obſervatione eventûs. Commoda multa ex ea ſimplici rerum contemplatione percipiuntur, quam nuda natura oculis attentis exhibet. Erroribus innumeris ſe implicat animus, ubi conjecturis illas metas prætergreditur.

In manibus quæ ſunt, vix nos ea ſcire putandum eſt;
Uſque adeò procul à nobis præſentia veri.

Quàm facilè nobis illudunt, vel exquiſitiſſima microſcopia! Quâ ratione molem augent objecti, coni viſorii baſim nimiùm arctant, ut vix uno intuitu animalculi minimi exiguam partem oculo referant. Per vices, & ſucceſſivè totum perluſtrandum, quia integrum non poteſt repræſentari. Quin & varias formas non nativas induunt objecta pro lentium ſitu & mole. Maximè quoque diffunduntur colores in objecta, nec eos eſſe naturales judicare poſſumus. Jungantur, loco unius lentis ocularis utrimque convexæ, vitra duo plana convexa, ita ut in medio ſuperficies convexæ ſeſe tangant, curva objecta, aucta in immenſum, ſe plana oculis offerunt. Sæpiùs quæ continua ſunt, apparent diviſa his interpolatis viſionibus. Non etiam, ut res exiſtunt, intuenti apparebunt, ſi pura cryſtallus non ſit ab omni maculâ; at reperire quæ nullo vitio laboret, tam ratione materiæ quam ratione formæ, difficillimum; ſi lentium ſuperficies perfectè ſphœrica, & exactè lævigata non fuerit, ſi luce debitâ non utatur oculus (non raro vividiſſimâ opus habet, aliquoties remiſsâ, & valdè temperatâ, modò directâ, modò laterali & reflexâ) ſi longiùs producatur, aut nimis contrahatur objectum. Prout oculus ipſe convexus, aut planus eſt, alienas à nativis ſpecies offert ſpectantibus. Hic in liquore, in quo ſubſidit piper, diverſas animalium ſpecies, & variarum ætatum ſe deprehendiſſe teſtatur; Ille uſus omni cautione & induſtriâ, nihil ſe vidiſſe ſimile confitetur. His difficultatibus implexi, vix objectorum notitiam aſſequi poſſumus, ſæpiùs utrum exiſtant, meritò dubitamus. Quomodò ex principiis, quorum nondum firma cognitio eſt, certæ elicerentur concluſiones & ſyſtemata?

32

III.

LEEWENHOEKIUS ſagax ſcrutator naturæ, feliciter rimatus microcoſmi penetralia, non minùs ſe fore felicem in generationis hominis indagatione ſperavit. Opiniones aliorum de ovis & ovariis ut figmenta, faſtidiosè reſpuit, *Quia præteritis temporibus*, inquit, *meliores circa generationem hypotheſes excogitari non potuerunt.* Voluit teſticulos mulierum, per quandam analogiam ad viros, ipſis conceſſos, eſſe partes otioſas & nulliùs usùs, ut mammæ ſunt in hominibus, & cornua uteri ad ipſos non poſſe pertingere. Ratus ſe vermium myriadas in ſemine virili deprehendiſſe, tot hominum agmina ſtatim eſſe affirmavit, quæ cum ſpermate in uteros infuſa, quaſi totidem ſeminum plantarum granula, terræ commiſſa, in benigno ejus ſinu adoleſcunt. Statuit ipſorum parens, eos eſſe tantæ tenuitatis, ut plura decies centenis millibus iſtorum animalculorum, collecta ſimul, non accedant ad arenæ grani magnitudinem; plura ex illis, amiſsâ longâ caudâ, quâ inſtructa erant, inſtar vermiculorum, in utero figuram rotundam adipiſci, cum quo tamen nullam potuit eorum connexionem, nec minima funis umbilicalis veſtigia detegere, & quamvis ſingula plus millies majora fierent, quam cum primùm in uterum injecta ſunt, centeſimâ arenulæ parte adhuc fore minora. Ut quid ergò unus vulgò, duo treſve ſed rariùs, ex tanto proventu, ſtatis temporibus, lucis uſurâ fruuntur? Ut illud incommodum declinaret ſcriptor, tam ſolers in conjiciendo, quam in inveſtigandis arcanis naturæ perſpicax, ſuſpicionem injicit, vivas non eſſe tam parvas creaturas, ſeu potiùs multiplicem earum numerum è ſemine maſculo, iiſdem turgido, evolutarum. Quibus intelligere datur, unam aut alteram è communi naufragio incolumem evadere, cæteras, in utero arctè concluſas, mutuo ſibi eſſe impedimento, & præfocari. Quibus arriſit Leuwenhoekii ſententia in uſum ova mulierum revocando, ingeniosè commenti ſunt, illis ineſſe foramen, inſtructum valvulâ, quæ ingreſſum uni aut alteri animalculo permittat, neget regreſſum. Sic tollere conati ſunt vitium, quo videbatur hæc opinio laborare, ſed alia graviora ipſi hærentia non excuſſerunt.

IV.

SUSPICARI licet, novam Leeuwenhoekii doctrinam esse commentum, ingeniosum quidem, commentum tamen. fortè splendido errore nos microscopia ludunt. Subjectis illorum examini viscidis liquoribus, quorum ramosæ partes sibi implexæ, varias figuras referunt, & motibus in diversa trahuntur, pro corporibus viventibus, lapsu facili, illas habemus. Non rarò sanguinis paulò crassiores particulæ, à renum vasis ad ureteres delati, & coagulati, vermiculos imitantur, à tubulis acceptâ formâ. Ut quid partes seminis in canalibus tenuissimis lento gradu properantis & inspissati, sub vermiculorum specie non possent oculis illudere? Esto ut lubet. sint vermes. Sed non sapit illorum systema sanam Philosophiam. In unâ seminis guttulâ continetur hominum multitudo, quæ toti Europæ incolendæ sufficeret; sed omnium jacturâ & interitu, unus tantum vitâ fruitur. Si summè sapiens erat conditor naturæ, cur tot vias inutiles excogitavit ut ad unum finem perveniret? Si summè potens; quid naturam sibi non habuit obsequentem, ut illi decretis temporibus certò in lucem emitterentur homines, quos victuros præviderat? Scatent vermiculis, teste ipso Leuwenhoekio, humana excrementa, illos etiam in purissimis liquoribus corporis natare microscopiis non rarò exploratum est. An non fatebimur eos quoque esse homines? Circuitionis sanguinis legibus, à testiculis ad totum corpus sanè essent deferendi. Ut quid in loculis, putà cerebri, aliquandò non nidulantur, ubi temperatum calorem & spiritus nacti, adolescant, ut olim in femore Jovis Bacchus, & in cerebro ejus Minerva? Non omnis quidem fert, omnia tellus. Uterus est ager humanæ naturæ. Sed quì fit, ut ex myriade vermium, unicus in illo, rarò duo vel tres capiant incrementum? Locus quo continentur immensus est, quia maximè sunt exiles. Possent saltem ad certam magnitudinem, è tanto numero, crescere longè plures, quam vulgò solet. Fabula de muliere, quæ 365. fœtus uno partu enixa est, jamdiù numerosis fœturis fuisset comprobata. Rationem esse mathematicam, non à liquoribus, sed à partibus solidis repetendam, quilibet sanus judicabit, quâ fit, ut extrà solitum numerum fœtus non gignantur, in singulis

animalium ſpeciebus, nec mulieres, quarum uterus amplior eſt, plures eodem partu, quam puſillæ mulierculæ, edant infantes. Natos procreandis hominibus non fuiſſe vermes ſuſpicari potuiſſet perſpicax autor, qui nullis ſibi viſos fuiſſe vaſis inſtructos fatetur, quibus cum utero jungantur, atque in ipſum radices agant. A ſingulis androgynis animalibus, ut cochleis terreſtribus, pauca, ſed grandia ova excluduntur; hîc tamen concubitus æquè neceſſarius eſt, ac in ſexu diviſo & ſingulari. Cur ſingulos mares ſua animalcula oportet commutare? Cur unumquodque ſibi ingenita non fouet, quæ facilè cum ſanguine à teſticulis in uterum deferrentur? Apparent eadem copiâ vermes in animalibus, quæ fœtum unum, quâ videntur in illis quæ plures emittunt. ut quid ea jactura? fœminarum perimitur fœcunditas, exſectis ovariis. an conjicere non eſt, totam ſpem futuræ prolis in illis eſſe poſitam? Tot experimentis compertum habemus ova ſæpiùs in cornibus uteri fuiſſe reperta, ubi excluſa in fœtus adolevere; ſed illud iter vermibus ſalebroſum, & omninò impervium videtur. Hoſpitium, inquies, ova præbent iſtis animalculis. Quid ex tot millibus unum benigniùs excipiunt, cæteris certò perituris aditum negant? Cur illud, quod ex advenâ plane indigena factum eſt, ſemper eluſit aciem microſcopiorum, ut nec in ovo, nec in puncto vitelli, ubi ejus ultima ſedes eſt, unquam fuerit deprehenſum? Creſcit in dies, ideóque magis fieret manifeſtum, & oculis pateret; at magnitudo & figura vermium ſemper eadem ſe prodit. An vi divinâ, an legibus mechanices, vaſcula ejus diriguntur, & aptantur tubulis vitelli ut ab illis ſuſcipiant nutritionem? Ratio cæcutit, fide opus eſt. Quantò ſatiùs dixeris, omnia ſimul in primâ rerum origine, in ovis animantia fuiſſe condita! plurium inſectorum ova ipſo tempore concubitûs, jam adulta, & partui apta ſunt, imo non eſt in quibuſdam neceſſarius concubitus, ſolâ ſeminis aſperſione fœcundantur. Ovum gallinæ ſubventaneum eſt, quod quaſſatum ſonum edit, partibus ejus factis fluxilibus, nonquam imprægnari poteſt. ſcilicet fractæ venæ, & arteriæ, quem continent liquorum effluere permittunt, nec motibus fermentativis ſpirituum ſeminis unquam poſſunt in corpus compingi. Quid autem impediret, quominùs

aſſiduâ & calidiori incubatione, vermis in ovo fluxili ſaltem ad aliquam magnitudinem intumeſceret? Tubuli corporis ejus, ſpiritus errantes, tùm albuminis & vitelli, tùm gallinæ incubantis dirigerent, ut nec fluidi nutrientis penuriâ laboraret, nec abundantioris impetu necaretur. Veroſimiliùs igitur erit, pullum ſub minimâ mole contractum, nihil opus habere ad partes evoluendas & ampliandas, obeundaſque functiones, niſi ut moveantur, quos vaſis ſuis continet liquores. Ovi cicatrix, ubi prima concluduntur fœtùs rudimenta, ſita eſt inter vitellum & albumen. Super vitrum extensâ, prima ſtamina animalis quodammodò in eâ diſtinguntur.

V.

MICROSCOPIO vermes in ſemine deprehenduntur. Ergo ſunt homines. egregia verò cohærentia! Aptiùs dicas, ſi exiſtunt, eſſe ſui generis animalcula, quemadmodum & diverſæ vermium ſpecies inteſtinorum. In liquoribus ex variis partibus compoſitis, & ſtagnantibus, facillimè plurium inſectorum ova excluduntur, inteſtino motu fermentationis. vaſa ſeminaria, ex quibus conflantur viriles teſticuli, ſibi juncta, quadraginta ulnarum longitudinem facilè excedunt. ſemen in ſpiras contorta lentiùs ſubit. feriatur ibi diutiùs. vermes per otium frequentiùs evolvuntur, quam in cæteris liquoribus, qui concitatiori motu feruntur. Quid ni ex corruptis iſtis animalculis, ille gravis odor exhalaret, quem ſpirant, qui veneri intemperantiùs indulgent, aut ſunt ætatis jam illi maturæ? *Paſtillos Ruſillus olet, Gorgonius hircum.* Non quidem ſic malè olent infantes. Fortè non aliundè fœtorem oris feliciùs poſſis repetere; Rodunt enim dentium radices innumeri vermiculi. non incongruum etiam fuerit, hinc deducere furentes libidinis æſtus, voluptatis animantium lenocinia, nata ex moleſtis vermium titillationibus, quibus ardentiùs ruunt in venerem. In ſenio, & gonorrhæâ virulentâ, ubi vel languida eſt, vel omninò extinguitur amoris dulcedo & irritamentum, pauca vel nulla animalcula in ſemine reperiuntur, donec fuerit reſtituta ſanitas. Non igitur alibi, quàm in ovo ſive adulto ſive pullulante initium vivendi quæſieris. Ante concubitum, aut ſeminis aſperſionem cor tardiſſimè pulſat. Stimulatur, & vehementer urgetur à fracido, & urente

maris ſemine, ſoluto, libidinis ardore, in auram ſubtilem. Illo turgidæ veſiculæ ſive ova teſticulorum fœmellarum, rubeſcunt. Circa excluſionis tempora papilla pertuſa in ovarii membranâ, aliquantulùm prominet. foramen ejus varium eſt pro animalis magnitudine. Stylum in vaccis, in cuniculis ſetam tantum admittit. Nulla ejus, alio tempore, veſtigia conſpexeris. Per illud in tubas, hinc in uterum ova tumida delabuntur. Nec officit anguſtia tubarum, ipſarumque libera in abdomine mulieris fluctuatio, quæ longè major eſt in volucribus, in quibus ova conſtat à tubis ſuſcipi, & fibrarum motricum ope in uterum detrudi; nullis tamen illæ nexibus, ovariis adhærent, at unâ aut alterâ laciniâ in muliere connectuntur. Laciniis, congreſsùs tempore, aut ſaltem aliquot ab ovi fœcundatione diebus, teſticulos intimè complectuntur. Si tunc temporis ulcere, aut inflammatione afficiantur, illis continuæ, & præter naturam connexæ, in ſectis cadaveribus aliquandò deprehenſæ ſunt. Hinc anno 1691. fœtus teſticulis adhærens Pariſiis repertus eſt, in quo, nudis oculis, dentes, crines, & oculorum alter, apertè ſe offerebant. hinc in abdomine & tubis non rarò abſoluti fœtus occurrunt. Hinc molarum origo commodè deducitur.

Non ergò homo à Vermibus.

Domini Doctores diſputaturi.

M. Joannes Depiney Peſchard, Præſes.	*M. Joannes-Baptiſta Dodart.*	*M. Joannes-Baptiſta Doye.*
M. Philippus Fontaine.	*M. Philippus Douté.*	*M. Urbanus Leaulté.*
M. Antonius Pepin.	*M. Amandus Douté.*	*M. Michaël Pichonnat.*

Proponebat Pariſiis SALVATOR CLUSCARD, Albienſis, Baccalaureus Medicus. A. R. S. H. 1705.

Apud Viduam Franciſci Muguet, Regis & Facultatis Medicinæ Typog.